

Z ï

5750

XI, 64.

# 4, 541







CASPARIS SAGITTARII  
*EPISTOLA*

*AD*

CHRISTIANVM SCHLE-  
GELIVM

DOCTISSIMVM  
HISTORIÆ SPALATINIANÆ  
AVCTOREM

---

*J E N Æ*  
LITERIS KREBSIANIS.  
MDCXCIII.

CASPARIS SACHTARI  
EPISCOPI

CHRISTIANVM SCHELE  
CELLVM

DOTISSIMVM  
HISTORIE SPALATHIANAE  
AUCTORVM

J. F. A. S.  
LITTERIS RESECTIVIS  
CIVITATIS





**S**ic igitur tandem Spalatinus tuus pro-  
dit. Tandem, inquam. Nam & tute no-  
sti probe, & mihi quoque singulariter per-  
spectum est, quot qualesque remora tibi  
fuerint injecta, quo minus scriptum pridem  
confectum, ac elaboratum, nec sic tamen integrum luci  
dare potueris. Non semel quidem per literas, de diutur-  
na mea ab Salana nostra absentia, & longiori mansio-  
ne Coburgensi, ac denique paulo acerbius te fuisse que-  
stum, novi: sed utique ὁ Φαλμοφανερώς deprehendisti, hanc  
causam nequaquam tibi obfuisse: perinde ac ea non ob-  
stitit eruditissimo Juveni, Georgio Iacobo Mellino, Linda-  
viensi, cujus *Antiquitates Lacus Bodamici, cum specimine Histo-*  
*riae patriae*, longe prius, quam Spalatiniana Historia tua, sunt  
finita. Verum ille non pigritus est curas suas mss. cen-  
suræ, philyras deinde singulas a tylotheta dispositas e-  
mendationi meæ submittere. Quæ res licet difficultati-  
bus suis non careret, eum tamen denique est consecuta,  
exitum, cujus nec Mellini Patronos, nec me, nec ipsum  
(cei conjicio) pœnituerit. At enim ut ad illam absentiam  
meam redeam, etsi Tibi, non minus ac multis aliis sum-  
mæ rei ignaris, suspecta admodum visa; ita tamen pro-  
fecto fuit comparata, ut nisi DEVS Opt. Max. pro incredibili  
sua providentia, ac ineffabili in me immerentem gratia,  
per Serenissimi Saxoniarum Ducis ALBERTI, Domini mei  
clementissimi, disertam vocationem, hanc rem mirifice  
disposuisset; vel pluribus, vel uni Dominorum N V T R I-  
TQ:

TORVM (quod abominabar) contrariari; aut (quod magis exhorui) in perpetuis conscientiae angoribus vitam traducere necessum habuisssem. Ad alias igitur, ut deveniam difficultates, nequaquam te fugit, mi Schlegeli, quam ægre tulerim, in eum incidisse te typographum, qui nec tuam, nec sui ipsius spem implere fuerit potis, quique demum tantas mihi creaverit molestias, ut iis breviter recensendis, ne dum curate enarrandis, nec hæc epistola, nec alia scriptio prolixa sufficiat. Quod homini non velim male, apprime novit amplissimus ejus frater, mihiqve ob varias virtutes summe dilectus: nec illud est ignotum hujus majori ad magna nato filio: ac væ mihi! si mercenario vel debitam mercedem negare; vel speratum honestam lucrum extorquere, ac, sive in me ipsum, vel alium quemvis conarer derivare. At vero cum nec typi, nec plura alia expectationi satisfacerent, ac denique literis ad Senatum Academicum perscriptis, indignis me tractaret modis, aliter facere non potui, quam alias inire rationes, ac alium typographum reliquo opusculo excudendo quærere. Interea tamen non possum admirari satis, quod nihil tale, & ne per somnium quidem cogitanti, per has tricas commonstrata mihi fuerit via, ad fontes atrocissimarum me penetrandi calumniarum, quibus homines nauci famam meam voluerunt, lædere. Et sane, quia aliquot graves viri his calumniis tam patulas præbuerunt aures, ut prius in rerum quam ipsarum veritatem inquirerent, fidem iis adhibuerint; Domino ac Salvatori meo humillimas ago gratias, quod nunc demum innocentissimam meam innocentiam, ac simul liquido demonstrare possim, quam male amicissimi etiam homines, per nimiam credulitatem suam, mecum egerint, ac lepidas illas fabellas ut alii disseminerent magis, occasionem dederint. Quandoquidem igitur hæc Spalatinus tuus perfecit, grata agnosco mente, ac ut eundem in posterum diligam exquisitius, atque  
æsti-



æstimem; causam habeo gravissimam. De ceteris, si-  
ve scopulis, siue scrupulis, ut agam sollicitius, nec tu for-  
tassis desideraveris, nec mihi nunc est volupe: cum præ-  
fertim ad amœniora devenire gestiât animus, tam Spa-  
latino, quam tibi maxime addictus. Spalatinum ac Spa-  
latiniana ut reverenter habeam, variis inducor rationi-  
bus. Pius, probus, candidus, humanus, laboriosus, li-  
beralis, doctus utiqve vir fuit Spalatinus: quas virtu-  
tes quis non amet, exosculetur, celebret? Sed & Fri-  
derico Sapienti percarus, sanctissimum in melius refor-  
mandæ religionis opus ita promovit, ut magis facere non  
potuerit. Quid? quod Historicum egerit Saxonicum,  
& quod caput est, cum singulari hoc elogio primum:  
cumqve per clementissimam Serenissimorum lineæ Erne-  
stinæ Saxoniarum Ducum indulgentiam isto quoque titulo  
fuerim auctus, diligentissimi hujus Viri editis æqve ac mss.  
laboribus ita sum usus quandoqve, ac sicubi res tulerit,  
atqve occasio, utar porro, ut unicuique appareat, in lau-  
dibus optimi, per quem profecerim, scriptoris, me non  
tantum ingenui, sed & grati hominis fecisse officium.  
Unum tamen illud neqveo dissimulare, simplicitatem  
quandoqve aliquam ex scriptis gestisqve Spalatinianis relu-  
cere: id quod etiam non dissimulavit in familiari mecum  
aliquando hac de re habito sermone, non minus vivus,  
quam post fata illustris, Dominus Vitus Ludovicus Sec-  
kendorffius. Quem virum quicumqve non æstimaverit,  
non magnificerit, sed contra convitiis inceserit (id quod  
nuper fecit tenebrius quidam genuinæ Pietatis hostis jura-  
tus, chartæque famosæ auctor impudens) inter ingratissi-  
mos mortalium suo merito numerabitur. Sed fac non-  
nunquam simplicem justo fuisse Spalatinum: certe hæc  
simplicitas ab omnibus bonis plus æstimabitur, quam  
callida illa versutia, non nisi ad omnia miscenda, ac tur-  
banda comparata. Neque tamen tam simplicis animi e-  
rat Noster, ut non ex variis ejus gestis, sed & scriptis com-  
pluri.

pluribus, magna per tot annos, in aulis, in peregrinationibus, in aliquot muneribus publicis, collecta prudentia splendidissime reluceat. Ceterum nunc non est meum, pro Spalatino apologiam scribere, & tu, eruditissime Schlegeli, nihil pœne omifisti, quod ad hujus quoque argumenti illustrationem pertinuerit. Enimvero, ut dicam, quod res est, tanta cum industria, tanta, tamque exquisita cum cura, in vita Spalatini es versatus, ut non immerito eandem commendare, teque in exemplum aliis ingeniis proponere necessum habeam. Quo quidem cum devenio, non possum non vicinarum Electoralium Saxonicarum, ac plurium aliarum Academiarum felicissima fata deprecare: in quibus vix ullus abit mensis, per quem non una atque altera hujus generis dissertatio, sive Professoribus Historicis, sive aliis Philosophiæ, ac optimarum artium magistris præsidibus, prodeat in publicum. Interdum, quidem Salana nostra habuit viros juvenesque eruditissimos, præclarissimosque, qui in hac historiarum parte elaborarunt studiosius: quos inter Christianum Kortholtium, postea Meklenburgensium, ac demum Holfatorum, imo totius Ecclesiæ atque Reip. literariæ perenne decus, ac Christianum Bergium, Westphaliæ suæ ornamentum peregrinatum, ob nobiles illos in *Historia persecutionum primitivæ Ecclesiæ*, ac *Epistolis Ecclesiasticis*, aliosque utilissimos publico labores non immerito numeraverim: at, si hunc exiguum numerum cum divite Scholarum aliarum gaza comparo, non mediocris me occupat dolor, atque indignatio, dum causas in his talibus pauperiei nostræ cogito: sic tamen, ut spes me refocillet non exigua, fore ut hoc quoque in utilissimo, ac maxime necessario studio plura in posterum ingenia κατὰ δύναμιν sint elaboratura. Quod autem, ornatissime Juvenis, tam mss. epistolis Spalatinianis, mira fortuna in curia Salfeldensi a me repertis, quam aliis quibusdam præsidibus, pro virium mearum facultate te juverim, ac denique incredibiles illas a priori typogra-

pho

pho creatas molestias devoraverim, amor in te meus singularis exegerunt. Nimirum jam quintus supra vigesimum agitur annus, quod primum pientissimus, doctissimusque Pater tuus mihi, atque ipsi ego innotui Salfeldii ex quo tempore tam arcta inter nos coaluit amicitia, ut nulla, sive illi, sive mihi adversantium, cœpta, nulla locorum intercapedo, potuerit minuere. Quod primam fortunarum mearum in Thuringia sedem, Salfeldiensem urbem (utut gravibus ibidem procellis fuerim agitatus) vehementer dilexerim, complures habeo testes: ac brevi forte id demonstrabit historicum meum de hac urbe & nobili Abbazia opus: cur ergo non suspicerem illos, qui me Rectorem ludi Salfeldensis, precibus, consiliis, ac re ipsa sæpius iuverunt, ac insuper in florenti æque, ac dubio statu meo, tum gaudium, tum *οὐρανίαν* suam contestati sunt? id quod optimum Genitorem tuum locupletissime fecisse, tot colloquia mecum habita, tot literæ peramanter ad me scriptæ testantur. Huc accedit, quod cum semel de gravi morbo meo ad eum pervenisset rumor, quiescere prius non potuerit, quam una cum conjunctissimo quodam amico alio huc advolarit, ac me benevolentissime inviserit. Neque sicco pede prætereundum puto, quod, cum post honorificam ab Altenburgico Synedrio factam missionem meam, quotannis fere, tum valetudinis, tum potissimum Historiæ illius locupletandæ ergo, ad unum alterumve dies Salfeldium concesserim, multis magnisque veri amoris significationibus, a laudatissimo Patre tuo exceptus fuerim, atque dimissus. Idem quoque, cum anno MDCC-LXXXVIII. in negotio Facultatis Philosophicæ Coburgum proficiscendum mihi esset, locupletissime expertus sum. Postquam autem ex Ducatu Coburgensi in Electoralem Saxoniam, atque ad amplissimam illam Cygneam Ephoriam abiit Pater, aliquoties ad se me invitavit perhumaniter: ac demum etiam proximo mense Aprilis, cum me Coburgo domum feliciter rediisse intellexisset. Quod

qvi

quidem, & ut gratificarer viro humanissimo, & ut florentissimam illam, & ex Daumiana mire auctam, Senatoriam paulo curiosius contemplarer bibliothecam, perlibenter facerem, modo non & publicæ, privatæque occupationes multijugæ, tum denique valetudo summe inbecilla, ac nuper febris catarrhali non parum infracta, votis obstarent, meis. Sed, ut ad te ipsam revertar, mi Schlegeli, nescio an tam familiariter tibi, ac Patri tuo, matrique ornatissimæ ut & mihi, constet, & quoties illi tam Salfeldi, quam hic, & Coburgi, te mihi commendaverint enixius, & ego in me receperim, per divinam gratiam summopere promoturum tua studia, ac alia facturum omnia, quæ a sincero amico, bono Professore, hospiteque bene-indulgenti proficisci possent. An autem id domi inque convictu per triennium meo, ac postea in hunc diem fecerim, ipse noveris optime: mihi certe, meæquæ non convenerit modestiæ, qualescunque conatus meos largiter deprædicare. Id tamen sancte ausim affirmare, magnæ mihi semper fuisse voluptati, si qua in re augere ac ornare Musas tuas licuit. Atque idem mihi semper erit animus: nec pigror illa quoque in re nummaria Germanica veteri tentamina, tum per me, tum per amicos, adjuvare. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. enixe precor, velit & optimos Parentes, cum universa familia, ac te quoque, dulcem amorem meum, ac verum Musarum corculum, servare, teque doctrina non minus varia, atque exarsciata, quam sincera pietate, probitateque semper florentiorem reddere, ac cum tempore eam tibi stationem indulgere, qua in tum Ecclesiæ, tum universæ rei literariæ magno possis esse usui. Ita vale, & quod facis, me ama. Scribebam in museo meo, VI. Julii anno C1010CXCIII.

108(9)20





He 5750

ULB Halle  
003 744 493

3



f

Sbi

Von  
H. C.







CASPARIS SA  
*EPIST*  
*AD*  
CHRISTIANV  
GELIV  
DOCTISSI  
HISTORIÆ SPA  
AVCTO

*F E N*  
LITERIS KRE  
CICICXC

